

§. 13. Sepulchrum patens guttur eorum &c. vide similia Psalm. 5. v. 11. & 9. v. 7. vel 28. Hugo Cardinalis inde colligit quinque linguarum vitia, quod, 1. sit impudica, quod notetur per *sepulchrum patens*, 2. dolosa in verbis: *linguis suis dolose agebant*. 3. Adulatoria, *in veneno aspidò sub labiis*. 4. Detractoria *in ore maledictione pleno*. 5. Iactabunda & minabunda *in ore plenò amaritudine*.

§. 14. Pedes veloces ad effundendum sanguinem: similia sunt Esa. 59, v. 7. 8. Proverb. 1. v. 16. & cap. 6. v. 18. & notantur hic tria grandia vitia: Cædes, temeritas & præcipitatio. Vertuntur enim impii ad cursum suum quasi equus impetu vadens, *Ierem. 8, v. 6.*

§. 15. Contritio & infelicitas in viis eorum: similia sunt Esa. 59, v. 8. In viis, id est in circumitionibus, cõversationibus, actionibus ac agendi modis, in mille nocendi artibus; sic enim *viarum* vocabulum in Scripturâ non semel usurpatur, ut alibi exemplis probavi; atque hinc fit ut impiis non sit pax Esa. 48. v. 21. & 57. v. 21. ipsique, quod addit hieropsaltes, *viam pacis non cognoscant, Esa. 59. v. 8.*

§. 16. Non est timor DEI ante oculos eorum: similia habentur Psalm. 36. vers. 1. ubi autem timor non est, ibi mala perpetrantur, Eccles. 8. vers. 11. quia qui DEUM timet, faciet bona, Eccles. 15. vers. 1. & timor Domini peccata expellit Eccles. 1. vers. 27. & per timorem

Domini omnis homo decli-

nat à malo, *Prov. 13,*

*v. 27.*

Doctri-